

miti anodyno consolari conueniat, quamuis haec non nisi e longinquo profint, certe arcem mali minime attingant.

§. XVIII.

*Prima igitur indicatio* materiem nouas sedes occupantem meabilem reddit & vi expellenti obsequentem. Huic scopo inseruiunt praesertim decocta illa lignorum, (a) sarsaparillae, guaiaci, chinae, liquiritiae, bardanae, cum polypodio & hermodactylis, quibus in fine coctionis tantillum florum chamaemeli, papaueris rhoeados &c. addere solent. Alii radicem aristolochiae, gentianae, angelicae, rhei pontici laudant, quorum omnium certis interuallis, sub forma calidi infusi, cum paucis subinde granis salis fixi lixiuiosi, e. c. absinthii, cardui benedicti, stipitum fabarum, salis Tackeniani, vel salis cuiusdam volatilis cornu cerui, vrinae, ammoniaci, fuliginis &c. adhibitorum virtus penetrat, soluit, motumque humorum & fluxilitatem per vasa ab impedimentis liberat. Sunt, qui ab ingenti copia harum potionum fere infallibilem podagricis salutem promittunt. Nec herbis illis neruinis, betonicae, melissae, origani vim suam in lentis pituitosisque denegamus. Quorum omnium delectus & sub victu tenui vsus intra limites primae conditionis praeparare materiam morbosam potest, vt mobilior antiqua loca repetat.

§. XIX.

*Altera indicatio*, quae pedes disponit ad suscipiendum, plurimum promittit auxilii. Pediluua ex aqua simplici & dulci, vel etiam additis floribus & herbis emollientibus parata, sua humiditate laxant partes, suo calore expandunt. Quod longe plus valet de balneis vaporosis, in quibus dicta aqua per halitus alluens subit, emol-

[a] His cl. Behrens certam salutem promittit, si triduo ad libras xxiv. bibantur v. Misc. Berolin. 1710. p. 128.